

F. K. 122, 17<sup>a</sup>.

# PANEGYRICUS

X 1503 704

VIRO

ANTIQUISSIMA PROSAPIA, MERITIS  
QUE IN PRINCIPEM AC PATRIAM  
ILLUSTRI,

II n  
8198

# DN. EBALDO à KLEIST,

OB

RECENS INITUM PRÆSIDIS  
OFFICIUM

DICTUS, DICATUS, NUNCUPATUS  
PUBLICE  
IN

ACADEMIA PHILURINA,

D. XXVII. SEPTEMBR.

A. O. R.

M. DC. LIV.

à

LAURENTIO GEORGIO à CROCKOW,  
NOB. POMER.

Sind  
Gratia Messia Præsidii  
Omnino Malicia.



LIPSIÆ,

Ex Officinâ BAUGHIANA.





PANEGYRICUS

VIRO

ANTIQUISSIMAE PROSARIAE, MERI  
TISQUE IN PRINCIPUM AC PATRIAM  
ILLUSTRI.

DN. ERBALDO

& KLEIST.

O A

REGENS INITIUM PRAESIDIIS

OFFICIUM

DICTORUM, DICATIS, INQUANTUM

PUBICE

IN

ACADEMIA PHILIPPINA

D. XXVII. SEPTEMBER.

A. O. R.

M. DC. LIV.

B

LABRENTIO GEORGIO & GROCKOW  
NOB. POMER.



LIBRARY  
UNIVERSITY OF  
SACSEN-ANHALT  
MAGDEBURG

1774

EX OFFICINA BALCHIANA





V I R O

Maximè-Reverendo, Magnifico ac Generoso

R O M I N O,

DN. EBALDO à KLEIST,

SERENISSIMI ac POTENTISSIMI ELE-  
CTORIS BRANDENBURGICI SENATORI ET CON-  
SILIARIO INTIMO, CAMERARIO SPLENDIDIS-  
SIMO, NEC NON REGIMINIS PER ULTERIO-  
REM POMERANIAM PRÆSIDI, CAPITULI CA-  
MINENSIS DECANO, ET PRÆFECTO IN

Marienstet / TOPARCHE IN Berckens

werder & Jatzow /

COGNATO ET PATRONO OPT. MAX.

LAURENTIUS GEORGIUS à CROCKOW,

D. D. D.

ILLUSTRIS DOMINE,



*T* nunquam non meditata ad imitationem  
egregia eorum exempla sunt, qui fortunam  
patriæ ac statum & fortissime tuentur flo-  
rentem, & debilitatum atque dejectum effica-  
cissime erigunt; sic opportunè cum primis eo-

rum Honori gratulationem instituumus, si quando novis  
aucti insignibus, de partè felicitate latitiam nostram te-  
standi copiam nobis præbent. Similis meditationis impetus  
me cepit nuper, cum Te, Generose KLEISTI, novo orna-  
tum munere, didicis per has quoq; provincias rumor, &  
certiores litera paterna loquerentur. Mò debet me pro-  
pinqua Generis Tui, quæ nostrò es connexus, necessitudo,  
& amœnam illud studiorum commercium, quod Te pa-  
riter & Parentem Optimum in inclitâ Regiomontanâ o-  
lim conjunxit Academia; ex quo ut mutua amicitia Ve-


(:) 2

stra

ACTOR



stra consuetudo cepit initium; sic ejus incrementum etiam  
num durat & perfectio. Quam potissimum de causa laudis  
Tuae ingressus sum materiam, in qua ingenii periculum  
facerem, & eloquentiae studia auspicerem, nulla haecenus  
voce publice notus. Nec excusandum arbitror magnoperè,  
seram hanc & insubidam quodammodo videri posse ope-  
ram; cum non praescribi laudes Tuae possint, & celebrari  
semper mereatur, cujus beneficia singula lucēs copiosissime  
annumerant. Minus verò dubitandum est, quin omnibus,  
quae à me dicuntur, fides sua constet ac veritas, & tantum  
ab adulatione absit oratio, quantum à necessitate abest.  
Neque enim Clarorum virorum facta moresque recensere,  
adulari est; sed nostri seculi felicitati hoc est imputandum,  
ut sentire, quae velis, & quae sentias, dicere liceat. Cete-  
rum, cum rudem hanc atque incomptam orationem nemini  
consecrare queam commodius, quam qui auspiciū di-  
cendi praebuit ac causam; eam Tuo inscriptam Nomine,  
Tibi, quae par est, reverentia nunc offero. Quam si beni-  
gno hilarique & Tibi proprio admiseris vultu, ubi cum  
gravioribus negotiis fecisti paria, nec eum, cujus auctori-  
tate suasuque id feci, consilii, nec me obsequii poenitebit.



RECTOR



RECTOR MAGNIFICE, PATRES ACADEMIÆ CON-  
scripti, Tuq; cetera Civium Academicorum Nobi-  
lissima & florentissima Concio.



**N**uberrimo veteris æ-  
vi, atq;ve inexhausto Clarorum  
Virorum proventu, cum sine  
probro, sine scelere, per illustra  
facinora & incorruptos mores,  
quam exquisitas Leges, antiquis-  
simi Mortalium agerent, Virtu-  
tesq;ve optimè adhuc æstimarentur, quando & gigne-  
bantur facilimè, celebrandis rebus præclarè gestis, &  
justissimæ gratulationis plausu prosequendis, quæ  
insigniti quisq; erant, honoribus, nec priorum defuit  
industria, & hodiernum, quotiens sterile hoc eminen-  
tium Virtutum seculum bonum aliquod exemplum,  
magnamve prodidit indolem, quæ altissima quævis  
adsecuta, vitæq; suæ dedignata imperare silentium, se-  
cundum Imperij gradum, fastigiumq;ve DEO & Prin-  
cipi proximum tenere meretur, festis adclamationi-  
bus resolvere ora, & contracto Eruditæ Gentis circu-  
lo, lætitiâ testari publicè, hæc in curiosâ quamlibet  
suorum ætate, & præsentia plerumq; invidiâ; præteri-  
ta, veneratione prosequi solitâ, usitatum est atq; passivum.  
Hinc & palliatum illud Græcorum, sed togâ  
nunc donatum, *Panegyrici* vocabulum, ijs potissimum  
initio tributum fuit declamationibus, quibus, contra-  
ctâ multitudine, in Theatris, Acroateriis, & Sapientiæ  
officinis Heroum celebrabant laudes, & quicquid il-  
lustris exempli, communem transgressum sortem,  
eminuerat, intuendum omnibus proponebant. Mox  
ubi infructuosus hic reddebatur labor, pravis audi-  
tori-

A

tori-



toribus è cathedrâ pulpitoq; prolata transmissâ mente, & aure non satis fidâ oblivioni, silentiove tradentibus, & declamare publicè, scholasticum habebatur, atq; ve umbratile; eas etiam denotare coepit, quæ in frequenti auditorum, confessu coronâve non recitatae, per universum tamen, quaquâ patet, Orbem illustrium Virorum elogia scripto propagabant. Quale hodieq; ve luculentum exstat, inq; ve eruditorum versatur manibus prægloriosissimi, æviq; ve sui optimi Poëtæ, Claudiani Panegyricum Carmen, in Proбини & Olybrij, fratrum, Manlijq; ve consulatus; & legitur quoq; ve prioris generis Oratio, ipsius Imperatoris Decij, quâ Valeriano Censuram est gratulatus. At longum fuerit eorum inire numerum, aut nomina persequi, qui de Auguratu, Sacerdotio, Ædilitate, Proconsulatu, benè merentibus adclamârunt. Quam consuetudinem, neq; ve repentem & priorijam olim factitatum populo, ego quoq; ve secutus, Honori Antistitis Patriæ ac Præsidis, Patroni Optimi Maximi, mihiq; ve propinquitate generis connexi, haud degener ad obsequia civis, Cliens devotus, Cognatus deniq; ve sola, necessitudinis gloria usus, hunc professione Pietatis laudandum, aut certè excusandum destina vi laborem, quo nuper delatum recens munus Summo Viro, EBALDO KLEISTIO, cui exoratum regioni nostræ Numen, & Serenissimi Electoris Brandenburgici Judicium, ut & nobilitas Majorum, nec non inlustres domi forisq; ve artes, in summo honoris culmine jamdudum collocato, tantisq; ve circumdato insignibus, ut felicitati ejus nihil ampliùs deesse videri possit, supremum Provinciæ regimen, cumulum dignitatis addiderunt, gratulatum ire impræsentiarum constitui. Quod dùm paro, à Vobis, Auditores omnium Ordinum honoratissimi, dari mihi veniam, contendo summoperè, si mea Oratio solitos evagata fines, velut remigia quædam aut vela sibi applicabit, nec tam celebr-



berrimam hanc alloquetur Panegyrim, quam ad eum, cui omnis hæc sumitur opera, quamvis multis millibus secretum, tanquam præsentem compellandum sese inferet.

Cæterum si hæc, Generose KLEISTI, coram illustri Excellentiâ Tuâ differere, exoptatissimoq; placidissimi oris adspectu frui cominùs daretur; nullus dubitarem, quin & insignis ille animus, quem universa loquitur Pomerania, & manus, æqui Juris rectrices, unde tutela ac vicarium regimen in omnes, compositusq; & nemini timendus vultus facundiam infanti mihi Oratori adspirarent; adeò ut tenuis mea eloquentia neq; mihi pudori, nec venerabili huic confessui oneri sit futura: Idèq; mihi veniret usu, quod saxæ illi Memnonis effigiei, quæ solaribus icta radiis, vocalem reddidisse sonum perhibetur. Enimverò si tenebrarû gubernatrix Luna, quæ auctu, senio, labore, per alternas crescendi & deficiendi vices circumagit Menses, lucē, quâ noctis obscurum soletur, & à diei distingvat claritudine, seq; pariter & universam hanc mundi compagem colustret, à Sole (quem ideò nunc patrem Lunæ, nunc fratrem Poëtæ vocant) mutuari, in sui diminutionem, haud quaquam accipit; quidni & ego à Te, communi Patriæ ocello, accieam subsidium, tuisq;ve coruscare radijs exoptem, cum proprijs niti atq;ve domesticis nequeam? Quòd si verò & eadem illa hebescit Luna, ubi interjectû terræ corpus, solari lumine intercepto, omne ipsi eripit jubar; ab eo quoque fcenerare lucem vix posse videor, cujus tanto terrarum divortio separati vultus mihi non adfulget. Quo cum destitutus, adversum fortuita refoveri nequeam; quid mirum, si in ipso aditu statim ac limine, orandi nescius, obmutescerem? defixis præsertim omnium in me oculis, Virtutis aut ignavię spectatoribus pariter atq; testibus, qui exercitam quoq; & præcellentem eloquentiam debilitare possint. Nisi forsan, Magnifice DOMINE, abesse mihi vix censendus es, cui animo, Virtuti, Sa-

A 2

pien-



pietiaēque tua involuto, inusitato Humanitatis documento, & prosperā famā innotuisti jam pridem: quemque, in peregribus licet, longēque distitis agentem locis, Nominis splendore accendisti. Quemadmodum autem, qui rectam nescit viam, ubi in plures una diffunditur, nec singulas audet eligere, nec probare universas, & quæ natura dubitantium est, cunctas metuēti, unaquæque displicet; perinde & mihi opus hoc aggredienti in incerto est iudiciū, Tibine primò gratulari debeam, qui labores & curas assiduas pro cōmuni felicitate indefessus subis; an Patriæ potiùs, cui usus eorum fructusque indulgetur, & tantus Rector Optimi Principis arbitrato, non ambitu constitutus est aut forte; quæ nescia iudicij, & soluta legibus, lubricis casibus dominatur, & quia nec præteritorum memor, nec diligens præsentium, adeo nec futuri prudens est, mores non discernit, sed deerrat sæpenuerò ad parum idoneos: quæ proinde designari, fortuitum est, nec ultra æstimatur: Principis existimatio vitam cujusque penetrat. Et quoniam vetera exempla Quæsturæ, & si florentissimo rerum Romanarum Scriptori, Tacito fides, Legationibus quoque, & alijs officijs posuerint urnam, ne ambitioni locus aut inimicitijs foret, privatisque odijs vel favoribus publicum impediretur bonum; multæ tamen à Majoribus repertæ consuetudines, si evenerunt quædā, cur exolescerent antiquitus instituta, oblivione sunt abolitæ. Nec enim super omnibus negocijs rectè adeo provisum olim, ut, quæ convertuntur, mutantur in deterius, & in minimis quoque rebus omnia antiqui ritus servanda sint momenta; sed mores accommodantur, prout conducant: & multa segnitie in scitiâque veterum felicius mutata, ad præsentem flectuntur usum, experimentis quotidie tenebras antiquitatis illustrantibus. Quæ cum docuerint non rarò, honorum magmenta hæc ratione in immerentes conferri, quæ, quemadmodum onerosa ipsis, sic Reipublicæ perniciose existunt; meritò sibi  
gratu-



gratulatur Patria de tali Præside, qui vocatus & electus, solemniqve modo introductus ad Provinciæ Imperium, non sorte aut effusis largitionibus irrepsit. In capessendis honoribus, impares velle, infanoq; exardescere ambitu, suam quisque nobilitatem, decus, virtutem, digna muneribus, ostentantes; suffecturos contra abnuere; paucissimos posse, eosdemqve cupere, debita Virtuti adfectare præmia, fiduciam potius morum, quam arrogantiam interpretatos, gravissimè quondam Augustus censuit. In horum postremorum classe Te collocavit melior Augusto Serenissimus Octavius, quem à Deo & nascendi felicitate summæ fortunæ admotum, Patriæ nostræ amor perpulit, ut, cum ipse cuncta scientiâ suâ complecti haud possit, nec unius mentis tantæ molis sit capax, Te in partem curarum adsumtū ulteriori præposuerit Pomeraniæ, veteri pariter profapia, multisqve Majorum imaginibus, & propriâ laude conspicuum. Nec id non pensi habuerunt optimi quiq; rerum potiti, qui pro parentibus se Publico meminere admotos, ut mandarent honores nobilitatem Generis spectando, antiquosq; & longa præferentes decora plebejis antetulerint, generosam quamqve indolem ad imitandum ea existimantes, quæ profapiæ initium dederunt, & honoris incrementum. Amat quippè ut plurimum sublimia atqve ingentia suis senatalibus debens animus, & conscius nobilitatis: nec reperere humi potest, quem parta à Majoribus gloria, tum & insitus vigor velut secunda aura levat subindè actollit. Quamquam enim pari omnes forte nati, solâ factorum gloriâ distingvamur mortales; videmus tamen non rarò avitæ, paternæqve, hoc est, hæreditariæ virtutis juxtâ ac vitiorum exempla in liberis reperiri, naturamq; divitias suas & Honestatis semina largiore manu stirpibus quibusdam in se visse. Quòd si nullas *non* Respubl. ab omni ævo, atqve in his Florentinam cum primis, fatales quasi familias quasdam, suo natas exitio,



rio, expertas esse atque perpessas, ne unius rei eodem  
semper loco staret fortuna, sed, postquam floruisset,  
aliquam diu, fenesceret rursus atque interiret, recoctus  
ille ex scribâ Philosophus, Hetruscus Doctor, observa-  
vit; quis neget & tales existere, quarum & auctus in-  
commodum Reipubl., & in singulare detrimentum,  
interitus vertat? In Romanâ Libertate Æmilios, Ca-  
millos, Scipiones, & illa imitanda posteris virtutum  
nomina, Curios, Fabriciosque; Annalium memoria ce-  
lebrat. Quibus præcellens illa Contarenorum, Vene-  
tius; in Holsatiâ, Ranzoviorum; in Pomeraniâ, fœcun-  
da bonorum civium, & haudquaquam Patriæ pœni-  
tenda KLEISTIORUM familia jure merito est accen-  
senda; quæ quamplurima protulit decora, quorum alij  
Cancellariorum, Decanorum alij, Canonicorum,  
Thesaurariorum, Præfectorum, Consiliariorum titu-  
lis insignes, præcipuique; semper habiti sunt, quibus Prin-  
cipum inniterentur secreta, & inter eorundem intimæ  
admissionis amicos adsciti, amplissimis Legationibus  
in Augustissimi Imperatoris Regum exterorum, Ele-  
ctorum ac Principum præcipuis Europæi orbis aulis  
fungerentur. In immensum diffunderetur Oratio,  
nec unius horæ, sed integri diei mihi postulanda esset  
aqua, si per singulos ire, & cuncta, quibus splēdidissimū  
hoc Genus publicè notum, aut Patriæ suæ utile fuerit,  
ordine vellem persequi. Omitto Pribislaos, Jacobos,  
Petros, Achatios, Gvilhelmos, victura gentis vocabula,  
& in quantum præumbrante GEORGI fastigio datur,  
inclita. Ille enim honorum, quibus Domus hæc im-  
mensum viguit, potissimus accumulator, BOGISLAI  
X<sup>mi</sup>, cui Magni cognomentum imposuit Patria, Can-  
cellarius, consiliorumque; particeps non Aulæ tantum, sed  
& universæ Provinciæ habitum ægrū, invalidū, con-  
vulsū instauravit rursus, & novis reformavit Legi-  
bus; quas qui rectâ metitur æstimatione, rhetras Sparta-  
norum, & Atheniensium axonas minùs jam extollet.

Pau-



Paucissimos sanè invenias, quibus tam sincera bono-  
rum fors, tantus omnium laudum consensus concor-  
diaq; contigerit, ut gloria ipsorum nullius labis confi-  
nio læderetur. Nam multi avitâ Nobilitate pollentes,  
inerti somno deserunt familiæ decus, aut impudenti-  
bus ausis polluunt; abjectissimi mortalium atq; vilissi-  
mi, & turpia Generis opprobria. Qui ut obliiti viden-  
tur illustria Majorum facinora; ita alij nimium me-  
minerunt, itaq; se comparant, ut nihil nitendum ultrâ  
putent, & dignitatem Avorum non tam stimulum exi-  
stiment, quàm portum, ubi quiescant. Igitur habent  
fatis, si Nobilitatem, ut à prioribus acceperunt, inte-  
meratam illibatamq; tradant posteris. Sunt è contra-  
rio, qui proprijs factis conspicui, Parentum destituun-  
tur gloriâ, quæ ut plurimum liberis lumen est, neq; ve-  
bona, neq; ve mala eorum in occulto patitur. Itaque li-  
cet in tra gloriam non sint, in tra famam erunt tamen;  
quæ vix evecta patriæ fines, per alienas terras haud ce-  
lebrabitur. Qui ut prioribus meliores; sic inferiores il-  
lis sunt, qui circumfusam sibi à primæ gentis suæ au-  
ctoribus tuentur lucem, atq; ve indies amplificant. Tu  
verò, Nobilissime KLEISTI, cuncta, quæ partitim sin-  
gula quemq; nobilitant, collecta tenes, Tuâ ipsius lau-  
de insignis pariter & Virtutum, quibus KLEISTIO-  
RUM Domus ad tantam pervenit claritudinem, velut  
exasse hæres. Nemo justius supremâ voluntate, aut  
ab intestato, proximorum adit hæreditatem accernit,  
quàm qui in Majorum succedit gloriâ. Eam verò &  
Tute intendisti, novam inferendo dignitatem, quæ  
majora decora nobilitati tuæ adjiciens, tibi juxtâ ma-  
gnifica est, & universæ Patriæ salutaris. Quæ tot casi-  
bus bellisq; defuncta, confugit tandem in Optimi  
Principis sinum, & nunc multâ pace refovente cuncta,  
sub commissâ Tibi tutelâ renasci desiderat. Oportu-  
num foret hoc loco longum malorum texere ordinē,  
& quæ difficultates, quæ pericula nos circumstete-



rant antea, curatius referre, ut priorem recogitantes fortunam, & præteritæ calamitatis imaginem complectentes animo, pientissimum Patriæ Patris beneficium rectè æstimare possemus, qui multis fatigatos adversis, meliore rerum statu nos donavit: Sed deprecatur feralia gratulationis hujus solemnitas. Quare, ut vel carptim non nihil attingam, quantum proh dolor! malorum invexerat contumacissimus ille belli furor? quæ inimici fati truculentia incubuerat? servitutem nostram cottidie pascebamus, cottidiè emebamus tributis; quibus, ne gratis essemus miseri, calamitatem nostram pensare cogebamur. Vendebant hostes lucis usuram, & tota salus nostra erat commercium. Exquirebantur varij sinus, & infinita prædandi vocabula, quibus facultates nostras arripiebant impositi exactores, tanquam in transiturâ potentiâ festinantes; ut plerumquæ difficilius est temperare felicitati, quàm te non putes diu usurum. Mox ubi hæc detonuerat tempestas, fessaquæ; tot malis Germania, & exhausta sumtibus, belli calamitatem ferre diutius haurâ poterat, solidaquæ; ei jam contingebat quies, nondum tamen Patriæ nostræ placare factorum sævitiam, nec lætabundæ veluti malis nostris fortunæ crudelē jocum deprecari licebat; sed varijs obnoxia mutationibus, novâ & miserandâ sorte agebat. Quod in annuâ conversione consuevit fieri, ut mota sidera tonent, & flexus suos tempestate significant; id in illâ quoquæ; mutatione accidit, quando intremuit penitus universa Provincia, & in hoc concusso regionis motu vix quicquam illæsum stetit atquæ; intactum. Sed quid juvat frena laxare quærimonijs, & libero impetu decurrere ac recensere prolixè acerbâ illa lectissimæ Patriæ vulnera, quæ nondum coalitæ cicatrices abs se loquuntur? ut taceam, satis vivacem esse calamitatum priorum recordationem. Ita scilicet comparatæ mortalium res sunt, ut eas frustra coneris dicendo mutare. Videmur potiùs, talium rerum cum

animo



animo recensentes memoriam, non tam transacta & jam decursa cogitatione revocare, quam ipsimet in præterita redire. Quare non exacerbabo amplius Regionis nostræ vibices ac plagas, quas ei communis fortunæ sævitia incuslit, ne præsentem lætitiæ commemoratione, aut odio tristitiam corrumpam. Quicquid sit, nihil tam labefactatum corruptumque est, quod non se erigat impræsentiarum, & in novam faciem adsurgere festinet, cum pia ordinandæ pacis, & componendæ disciplinæ consilia denuò resumantur. Multum fiduciæ adversâ valetudine correpto, defecto quamlibet viribus, & spiritum extremum trahenti additur, sævaque morbi vis minuitur non nihil, si accedat morborum artifex, & sanitatis præses, qui & defendere lueam, & prout se intendit remittitve ægritudo, fomenta imperare queat. Perindè & mihi Patriæ salutem & firmiorem statum spe certâ præsumere licet, cum habitum ejusdem in melius promovere, diesque ac noctes pro sanitate ejus, velut in statione excubare non omittat pietissimæ Tuæ sollicitudinis munus.

Quam industriam (ut ad ordinem, à quo publicæ miseriæ memoriâ abductus erat, revertatur sermo) in Te contemplatus Elector Sapientissimus, huic Te admovit officio, quod prosperum Patriæ, Tibi variâ sorte lætum ac onerosum juxta existit; ut dubitandum arbitrer, sitné ejus celebritas optanda, an evitanda difficultas, nisi si amor patriæ omnibus flagrantior est adfectibus, molestiam, labores, cuncta ejus caritate viliora habenti. Est quidem summa hæc dignitas, & à principali majestate multum trahit, quam circumdas provinciæ, cujus componendæ, consilioque ac ope moderandæ Tibi permessa est facultas. Si enim in Regibus Principibusque, qui Dei in terris vices sustinent, ejusque instar atque imaginem, tanquam salutare populo fidus, circumferunt, cœleste aliquid & augustum, & Genium præterea quendam, illis summi Numinis vicarijs ad fiduè in-

C

cuban-



cubantem, sublimitatem deniq; à Divinâ secundam,  
quam ipsis indulserit. supremum illud dispensans re-  
gna, & dominantium vices ordinans Numen, non o-  
lim tantum insanientis sapientiæ consulti, nullâ sacra-  
rum literarum luce illustrati, sed & melioris Philoso-  
phiæ imbuti gustu, agnoverunt; quis iret inficias, illos  
quoque, quos in secretorum conscientiam adsumptos,  
consilijsq; immixtos, aut alienis in regionibus locum,  
vicemque Principum implentes, partem corporis sui  
sapientissimi quique Imperatores existimârunt, dignos,  
quibus etiam auspicia sua & plenum communicarent  
jubar, proximo & ipsos censendos esse honore, multum.  
que decorum participare naturâ? Quare, ne tantum  
munus invaderet vulgaretq; plebs minuta; non nisi E-  
questri summoque ortos loco eodem potiri temerè,  
sapienter patrijs moribus est receptum. Et videtur  
hoc singulari fato Tibi esse reservatum, ut novæ gloriæ  
relinqueretur materies, cum reliqua, quæ Majorum  
cesserunt decori officia, posterorum laudi sint prære-  
pta. Veteres Romanorum Imperatores provinciarum  
regimen, singulare favoris gratiæq; argumentum, com-  
misisse bene meritis, locuples testis est, quo insignive-  
runt Præsides provinciarum atq; Rectores, charissimo-  
rum titulus, quo Geminum & Pisonem à Pio & Com-  
modo Imperatoribus ornatos, Ulpianus atque Calli-  
stratus, divini humaniq; juris scientissimi, posteritati  
transmiserunt. Nec diu de Te, Spectabilis Magnificeq;  
PRÆSES, inquirendum est, quin per virtutem & ho-  
nestas artes animo Principis tui mirè congruens, gra-  
tiâ multos anteeas: Quæ uti per ambitum malè adqui-  
ritur, ita per bona consilia non est spernenda. Et dubi-  
tandum haud est, quin ad promerendum ejus favorem  
multum Tibi ingenij, artis & industriæ superfit. Sicut  
autem mali Principes in deligendis amicis voluptates,  
infamiam, scelera, & geminam moribus suis sectantur  
vitam, varijsq; apud se inlecebris potentes, sibiq; & le-  
gibus



gibus adæqvant; ita boni sibi similes vel iudicio eligunt, vel reddunt exemplo. nec ullum certius felicitatis; Imperij iudicium pariter ac instrumentum est, quam boni amici. Ex quo eorum dubitationem dissipari existimo, qui ambigunt, fatone & sorte nascendi ut cætera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos existat; an sit aliquid in humanis consilijs, quod odium nobis, gratiamve conciliet. Nec enim tantæ felicitatis arbitrium soli credendum est fortunæ, quæ, uti suâ sponte imperantibus non paucos conciliat, & ad fastigia hæc, quos placet, subvehit; ita multi calliditate & artificio destituti mox excidunt honore, & tam prope à ruinâ absunt, quam ante à summo culmine: eò sublatis, ut graviore lapsu ruerent. Cæterum quantum plura antiquiorum seu recentium revolvo; tantum magis ludibria rerum humanarum obversantur animo, nihilque tam instabile & fluxum reperio, quam favorem talium Principum, qui in diversos adfectus amicosque transire faciles, quocumque se applicent, ut cæcâ & vehementi, sic brevi amicitiam incumbunt. Itaque qui ab his amantur, altissimo quidem inundantur amoris æstu, sed in Oceanum suum statim mutatione mox redituro. Quodque in Veniliâ & Salaciâ consuevit fieri, ut mare spumosis fluctibus intumeat, sed relabens iterum, & vestigia retrahens, in se resorbeatur; perinde & illorum Principum instabilis adfectio varijs mutationibus adsurgit decrescitque; sed & ipsi interdum, quæ nimia cæsit potentia, plus quam parest ejus memores, & tot honorum conscientiam elati, per abruptam contumaciam fatum suum provocant, & tristi arrogantiâ ministrorum egressi modum, lenitatem imperitantis deminuunt. Obliti, quod quomodo pessimis Principibus sine fine dominatio; sic egregijs etiam modo libertatis placeat. Nonnunquam & immodicè jactabundi, inque suam famam exultantes gestis, efficiunt, ut destrui fortunam suam, imparesque se tantis beneficijs arbitrentur



trentur Principes. Igitur si post ingentia merita vel in  
minutissimâ re votis successus non consentiat, illicò in  
ministros conferunt culpam, & altiùs in animum exi-  
guus error, quàm tot annorum benefacta, descendunt.  
Hæc enim citò defluunt: illum tenax memoria custo-  
dit. Nam ità plerumq; naturâ comparatum est, ut  
proclivius sit injuriæ quàm beneficio exsolvere vicem.  
quia gratiæ oneri; ultio in quæstu habentur. Grande  
profectò instabilitatis suæ documentum in Parmeni-  
one, Mæcenate, Sejano, Belisario, Petro de Vineis, Al-  
varo Lunâ, & sexcentis alijs, potentia aulica dedit; qui,  
ubi amoris Principum per varias obrepserant artes, præ-  
buerunt exemplum, quod secuti, ex pauperibus divi-  
tes, ex contentis metuendi, potentiam sibi & postre-  
mò perniciem invenêre. At verò cum Principes amo-  
ris torrente non perdit, suavitati illi, quâ ad amadum  
impelluntur, consilium quoq; addunt; tunc summâ  
continuâq; amicitia inhaerent animis, quos non cœ-  
cus fortunæ impetus, sed virtutis & voluntatum con-  
sensus ipsis conciliârunt. Legimus sub Tiberio (quod  
utiq; mirandum) Coccejum Nervam ad mortem usq;  
quam ipse integer adhuc, & intentatus, inediâ ultrò si-  
bi accerserat, continuum Principis fuisse, & amicorū  
proximum: Manium quoq; Lepidum tantum valuis-  
se sapientiâ, ut æqvabili apud eundem auctoritate, &  
inoffensâ gratiâ semper egerit, cum tamē fidē, libertatē,  
præcipua humani animi bona, intemerata servaret,  
atq; impolluta, & sine adulatione, sine blanditijs, pes-  
simo veri adfectus veneno, sæpiùs cum Tiberio, quàm  
cum fortunâ ejus loqueretur: non ignarus, fidem in  
præsentiâ, quibus resistit, offendere, deindè ab illis su-  
spici laudariq; ve. Sed et in Galliâ Armandus Joannes  
Messiacus, Cardinalis Richelms Regis sui favorē, quo  
ad regni procerumq; invidiam floruerat, extremo  
condidit tumulto. Et, si nostri temporis Historiarum  
Conditori non absurdo fides, (neq; enim ignoro alijs  
aliter



aliter narrari) Dux Luynæus, Carolus Albertus, Gallia (ut vocant) comestabilis locum, quo & ipse Ludovici XIII. indulgentiâ eventus erat, ad finem usque vitæ retinuit, miraculo potentia rarò sempiternæ. Quem verò de Te, Amplissime DOMINE, dubitare sine ret vitæ tuæ consuetudo, quâ nullum laborem à tuo amandas loco, aut molestiam occupationis evitas; sed majoribus tuis dignus, Communis Egregii providus, nec pavidus curarum pro utilitate patriæ, & publicis semper districtus negotiis, mille vigiliis contereris? quarum delinimentum atque solatium unicum patriæ commodum est. Scilicet & Sol, mundi oculus, dum ordinem temporum stabili varietate distingvit, diemque mortuum & undiquaque tenebris sepultum reducit, ut vices ejus spatium noctis excipiant, & utriusque recursus alternam laboris atque operis præbeat mutationem; & sic de summo vertice in omnes partes lucem dissipat, eaque hoc universum veluti conferit, non sibi sed mortalium prodest usibus. Ad Oceani quoque majestatem pertinet, derivari in fluvios, & iis suppeditare undam, ut exercitis ire lapsibus, venisque perennibus manare queant. Haud aliter & Tu, quamprimùm fastigio huic publica Te admovit felicitas, singulari Naturæ industriâ editum, divinas ingenii dotes exserere, indies, communiq; utilitati non desinis impendere; sed velut tui immemor, non Tibi, sed Reipublicæ vivis. Quod hominum genus cum Atlante, cælum sustinente humeris, & Hercule, improbis laboribus implicito, contendere Poëtæ solent, non fabulis solum humanos errores alere, sed & vitam prudenti monere consilio sventi. Itaque alienus ab eorum institutis, qui non judicio, sed pigritiâ, Reipublicæ procuracionem fugiunt, & nescio quibus abditi umbris, ut ignava animantia, quibus si cibum suggeras, jacent torpentque, præterita, instantia, futura, pari oblivione dimittunt, vota sua, Communi Publico subtracta, clauastro alicui alligantes, ut vivere ipsos, ceu Gyaro aut Oasi clausos, primò nemo alius homo sciat, postremùm ipsi obliviscantur. Quippe solitudini maximè aut tacentibus in hærentes locis, pudendâ semet occultant latebrâ, honesti tamen huic otio prætentis nominibus, dum falsâ appellatione quietem pro inertia, privatam vitam, & nullis Reipublicæ negotiis permixtam, pro obscurâ vocant; ut plerunq; vitia in cognatarum virtutum nomina solemus adoptare, postquam jam pridem vera rerum amissimus vocabula. Quæ quidem vivendi ratio rectâ æstimatione socors; benigniùs interpretantibus, tranquilla habetur. Quò magis eorum laudanda est industria, qui non modò diurnos labores assidue, sed & nocturnos, quoque vigiliis patriæ impendentes, sibiq; & Reipublicæ sunt usui, & quos sive in Principum aulis sive alijs negotijs semper actiosa exercet vita; domi beatos, gloriosos publicè. Neque enim nobis tantùm nati sumus; sed partem ortus nostri parentes, partem patria sibi vindicat. & hæc demùm est vita, hic verus ejus usus, si profit publico, Quam-



vis non ignorem, uti prima & media vitæ tempora patriæ; sic ultima nobis deberi: quod & ipsæ leges monent, sexaginta annis majorem, otio reddentes. Nam tum ipsa ætas receptui canere, & usurpare laborum inducias permittit. Et quomodo in viâ fessi quietem; sic in hoc vitæ itinere senes, & vel levisimis curis impares, vacationem merentur. At in adultâ & rerum fructui sufficiente juventâ oblata refutare munera, sopor & ignavia fuerit, etiamsi recusantis quàm inhonesta, tam tuta quies foret. ut taceam intuta etiam esse, quæ indecora. Quid porro dicam de legationibus, quibus & alibi, & in Sveciâ quoq; egregiè es functus? Quid de expeditionibus, itineribus aliis, quibus sæpissimè distentus, nihil appetens in jactationem, nihil ob formidinem recusans, ubiq; sollicitus & intentus egisti? Tanto semper successu, qui cupidissimorum etiam avara quamlibet vota vincere possit aut certè absolvere. In recenti restauratione rerum Pomeraniæ, (ut ad propiora veniamus) cujus debilitatem penitus atq; dejectam, ac post tot vulnera deformatam faciem, suis auspiciis, efficacissimè rursus erexit Clementissimus ELECTOR, quàm insignis fuit Tua opera! quo ipso meruisti, ut ei imponeris Rector, tanquàm maximè prudens animorum. Eccui enim status ejus, habitus subditorum ac sensus constare exploratiùs possit, quàm ei, qui, cum ad interitum non tam vergerent res nostræ, quàm ruerent penitus, & adversa factorum urgerent undiq;ve, quas fatam tot procellis singulari prudentiæ exemplo denuò confirmavit? Præterea ubi magnarum rerum suscipienda sunt consilia, quis æstimare meliùs poterit, an, quod inchoatur, regioni utile, Principi gloriosum, aut promptum effectu, vel certè non arduum sit, quàm cui vires incolarum maximè sunt gnaræ? Requirit in provinciarum Præsides Romanæ leges, ut, quotiens conventus ac judicia poscant, gravis, intentus, severus, & incorruptam integritatem professus, nec amore quicquam, & sine odio faciat, eorumq; causas habeat procul, quæ judicio officere queant, ab amicitia, irâ, misericordiâ vacuus, ut quibus impeditus animus haud facile verum providet. Tu quàm sis ab omni adfectu liber, multis jam cõproballi experimentis, adeò firmus adversus quoscunq; animi motus, pecuniamq;ve, quæ neq; dari, neq; accipi, salvâ in Principem fide, potest, ut hæc in parte nemo tibi anteferatur, paucissimi verò, ac ne Aristides quidem aut Phocion, vel Epaminondas aliquis, decantata Græcis abstinentiæ exempla, pares putentur. Iisdem, quas dixi, legibus cautum insuper est, ut tristitiam, arrogantiam & avaritiam exuerent Præsides, neq; affluentem, & limen propemodùm obsidentem populum, janitorum gratiam aut fastus perpeti, vel duriores sui congressum per ambitum parare sinerent. A quo vitio quàm iterùm sis alienus, satis certo documento Berolini sumus experti, ubi facilitate obviâ, & incredibili benignitate nos excipiendo, adeò omnem gravitatis juxtâ & comitatis implebas laudem, inter utramq; medius, ut, quod rarissimum est, nec facilitas auctoritatem, nec severitas

amo.



amorem deminueret. Quippè visu & auditu juxtà venerabilis, cùm  
magnitudinem & gravitatē retineres, superbiam tristitiāq; effugi-  
sti. Tantishonoribus, tantà cumulatù dignitate, nullum turbati aut  
exultantis animi prodisindicium, nihil in vultu habituq; mutatum,  
quasi iis frui possis magis, quàm velis, cùm acribus aliàs stimulis ex-  
plorare animos res secundæ soleant. Plerisq; enim hominibus in pro-  
speris excellere mens solet, & superbiã augescere. Itaq; quamprimùm  
tales exiere è contemptibus, & repentè prodigentis felicitatis munere  
sunt inundati, antequam ipsa consuetudine frangatur quotidiana  
lætitiæ sensus, non imperando habiles, non tantæ dignitatis capaces,  
recentibus adhuc bonis ebrii, immane quantum se extollunt, & ma-  
gnitudo male-crediti muneris extra animi angustias effluit. Ut pro-  
indè extollenda sit moderatio tua, qui nec Temiraris ipse, nec exsul-  
tas immodicè. Summa in omni vita æquabilitas, idem semper vultus,  
eadem frons, nihil tumidum aut arrogans, aut in novis rebus novum.  
Non igitur in Te timendum est, quod in præsidibus suis olim metue-  
bat Tiberius, multos in provincijs contra, quàm spes de illis antè fue-  
rit, agere, nec excitari ad meliora magnitudinè rerum, sed hebescere.  
Scilicet occulti in hominum animis recessus magnæq; latebræ sunt,  
& cautissimæ etiam Tiberij senectuti imponebatur nonnunquam.  
Multi vigorem mentis parè negotijs in urbe ostendètes, per honesta-  
rum artium imitamenta merebantur, ut majores privatis, dum priva-  
ti essent, & dignissimi honorum crederentur, nisi eos impetrassent.  
Fefellerunt enim postea expectationem omnium, postquam sunt ad-  
epti. Namq; non naturalis illa, sed callida & temporaria erat boni-  
tas, eoq;ve plus formidinis adferebant falsæ virtutes, & vitia reditura.  
Ficta citò in naturam suam recidunt; quibus veritas subest, quæq;ve  
ex solido enascuntur, tempore ipso in majus meliusq; procedunt. In  
tuis autem dictis factisq; VIR Generose, cùm nihil sit adfectatum,  
aut temporis causâ vafre callidèq; adsumtum; intemerata manet vir-  
tutum gloria. Ideoq; securi sumus de Constantiâ Tuâ, quæ si mutari  
pateretur, non esset profectò, quod in vocabulo suo audit; & certâ  
spe præsumimus, te nihil admissurum, nisi quod decus augeat. Addit  
induciam exploratum jam à Serenissimo Electore robur animi, &  
per tot annorum obsequium satis certo experimento probata Virtus,  
quam neq; debilitare invidia, neq;ve devincere obrectatio potest.  
Nullus enim dubito, inveniri multos, (& hoc ipsum non sileri ad tu-  
am gloriam interest) qui virtutis laudem varijs modis obterere la-  
borant; quia pessimis mortalium est insitum, ut recentem aliorum  
felicitatem ægris intueantur oculis, & fortunæ ingemiscant. Nimi-  
rùm individuus gloriæ comes est invidia, quæ libenter de his detra-  
hit, qui eminent altius, pari dolore commoda aliena & suam indi-  
gentiam metiens. Ego verò optimè cum iis actum existimo, qui  
extra teli jactum positi, cæterorum in se invidiam tutò contemplan-



tur atque contemnunt impunè, iis interim ad sui venerationem co-  
actis, quos sciunt à maligno pectore, & æmulationem celante,  
imaginem benevolentiae extorquere. Sint licet potentiae Tuæ  
tot invidi, quot æmuli, tot hostes, quot cupidi, industriaeque ac  
innocentiae tuæ infensi; eisdem tamen virtutes æmulari eos ne-  
cesse est & suspicere, quibus irascuntur, nec quicquam, nisi in ani-  
mo suo, iis possunt inferre detrimenti. Quarum tantam annume-  
rat copiam foecunda maximarum laudum vita tua, ut subactissimo-  
rum etiam ingeniorum defatigare possit facundiam. Taceo decorem  
oris cum quadam maiestate conjunctum, firmitatem ac proceritatem  
corporis, & viridem atque inflexam ætatis maturitatem. quæ licet  
fortuita & inania videantur; multum tamen venerationis acquirunt.  
Nec injuria virtutum fuerit, fortitudinem, facilitatem in æquales, in  
inferiores comitatem, Pietatem denique incredibilem in Te referre;  
quam primo loco positam oportuisset, nisi & solerent Principes non  
præcedere ministros, & reliquam fortunæ suæ molem, sed sequi. De  
scientiarum autem & linguarum peritiâ quid dicam? quibus adeo ex-  
cellis, ut, quicquid in Annalibus fidele, prudens inter Politicos, apud  
Juris sacerdotes fas æquumve est, penitus perdidiceris, & insititio in-  
ductoque sermonis genere non minus promptè, quam domestico,  
utaris. In cætero vitæ ordine opum alienarum non appetens, publi-  
carum sine reprehensione parcus, Tuarum ad laudem usque liberalis,  
& erogandæ per honesta pecuniæ, levandæque innoxia paupertatis  
cupiens. Quæ singula altiùs exsequerer, nisi nullam Te ex virtutibus  
æquè diligere scirem, ac Modestiam, quæ neque summis mortalium  
spernenda est, & à Deo æstimatur. Illa verò ut egregias aliorum dotes  
liberaliter judicat, & prolixè aliis omnia tribuit; ita sibi demit maxi-  
ma, & infra aliorum æstimationem se metitur, tenuiterque de se sen-  
tire, fugam arbitratur illius vitii, quod se ipsum amando, in omnium  
oculis degit. Cæterum qualis est, qui sinuosum mare transfretanti-  
bus fluctus inter & amœnum littus sese ostentat tranquillus portus;  
talem se mihi, Virtutum Tuarum decurrenti Oceanum, offert, ad quem  
propè ventum est, finis terminusque, sub quo votiæ suspendendæ tabu-  
læ. Quare *Autorem rerum, summumque Præsidem imperiorum & custodem,  
DEUM ingenuis ac verecundis fatigo precibus, ut, cum votis nunc frua-  
tur ad invidiam prosperis Pomerania, neque felicitati nostræ quicquam de-  
sit amplius, nisi ejus continuatio, muneri suo perpetuitatem addat, & boni-  
tanti possessionem propriam nobis atque perpetuam esse sinat, Teque, Eminen-  
tissime Præses, quam diutissime incolumem præstet patriæ, ut, quoniam  
à Tuis consiliis nostræ descendit salus, & quicquid nobis accidere exopta-  
tum potest, providentiæ Tuæ curis bonam partem debetur, conatus Tuos  
ad communia emolumenta conferat, Publicoque Egregio nunquam non be-  
nè jubeat expedire. Quod si fiet, spes me pulcherrima alit, fore, ut le-  
ctissima Patria, quæ tot bellis hucusque jactata consenuerat ferè atque  
decoxerat, moveat rursus lacertos, & senectus ejus, quasi redditâ ju-  
ventute, revirescat, ut non tam securitatis suæ spem ac votum ab O-  
ptimo Principe, per Te, cepisse, quàm voti ipsius robur ac fiduciam,  
sumsisse videatur.*

D I X I.





# DECANUS

## COMMUNITATIS PHILO- SOPHICÆ IN ACADEMIA LIPSIE NSI.



**Q**UOD IN VOTIS ET OPTA-  
tis hætenus habuerunt Germania  
provincia bello tamdiu protracto at-  
trita, penitusq; consumpta plures, ut,  
quod belli calamitas introduxit, pa-  
cis lenitas sopiat, id ipsum inter vo-  
torum fastigia posuisse videtur PO-  
MERANIA. Ecquis enim est rerum mundanarum,  
tam ignarus, quem fugiat, inter primas insontes bello  
Germanico sedem præbuisse, calamitatum ingentium thea-  
trum non Europa duntaxat, sed & remotissimis populis  
extitisse, voceq; velut intentâ conterminas eidem fato pro-  
ximas monuisse: In me intuens sapere disce? Quid fue-  
rit propriam & indignam servitutem pascere & alere,  
nisi Pomerania satis monstrasset, Germania prius igno-  
rare videbatur. Direptionibus, expilationibus, cadibus,  
incendiis deformabatur innoxia, κατὰ χρισμὸν in eadem  
volvabantur omnia, ὑπέγλεγα véγλεγα fiebant. In cumu-  
lum tandem miseriarum accedebat, ut calamitatibus istis  
concatenatis fractus & exhaustus Dux BOGISLAUS  
ultimus in fata concedens stemmati suo colophonem im-  
poneret, totamq; provinciam Dominis vacuam sub tur-  
bulentis istis motibus & nondum certo satis belli exitu po-  
num Eridos post se relinqueret. Inter sacrum & saxum  
hærebant tum temporis provinciales, quis tandem pro-

E

pter



pter eventus varios in angusto limite astuantes calamita-  
tum finis, quæ fabula catastrophe incerti, de aris simul &  
focis maximè solliciti.

Verùmenimverò ut res magna non eventu, sed exitu  
ponderantur: ita Pomerania quoque voti sui tandem fa-  
cta compos, quod belli calamitas introduxerat, pacis leni-  
tatem sopivisse, magisque progressu temporis consopituram,  
videt. In spem salutis aliquam erigi poterat, quod in  
eadem Θεός ἀπὸ μυχῶνς Germania apparuerit, & in  
eadem primum auxilium rebus conclamatis fuerit alla-  
tum. Spem actu tandem complevit transactio pacifica,  
cum dicta provincia ex parte regno finitimo Svecico, cui  
non uno vinculo jungebatur, partim Serenissimo Electori  
Brandenburgico per simultaneam investituram successio-  
nis jus aliàs obtinenti cessit. Habet certè Pomerania, cur  
de DOMINIS istis sibi gratuletur, & velut in sinu  
gaudeat periculis istis, quæ pertimescebat prius, non am-  
plius exposita. Conflantur jamenses in falces, agro suus  
honor redditur, commerciorum cursui sufflaminata nulla  
ponuntur, rebus privatorum crescendi datur copia, jus æ-  
quà lance cuilibet maximo minimo administratur, sacro-  
rum cultui sine motu ac metu vacatur. Cum verò qui-  
bus Præsilibus gubernetur aliqua provincia multum in-  
terfit, Pomerania cum novo Præside, Viro Maximè Re-  
verendo, Magnifico & Generoso Dno. EBALDO  
à KLEIST, Serenissimi ac Potentissimi Electoris Bran-  
deburgici Senatore & Consiliario intimo, Camerario, Ca-  
pituli Caminensis Decano, Præsido in Marienstieβ  
Toparcha in Berkenwerder & Ratkow / non ita pri-  
dem per dictum Serenissimum Electorem Brandeburgi-  
cum Pomeraniae ulterioris Præside clementissimè constitu-  
to, materiam gaudii sibi natam, novumque pacis reducis  
fructum maturuisse, sentit. Non tantum amore patria,  
sed & consanguinitatis vinculo adductus Nobilissimus  
& Politissimus adolescens LAURENTIUS GEOR-  
GIUS à CROCKOVV Nobilis Pomeranus, amœnio-  
ribus



ribus literis operam in hac Academia navans, oratione  
satis eleganti de munere isto splendido Cognato & Patro-  
no suo, cujus cum honore jam facta mentio, gratulabitur,  
quantumq; bonum patriæ suæ carissimæ per istum Magi-  
stratum obtingat, exponet. Quo ipso non tantum partes  
eas, quas liberi Parentibus, & iis, qui Parentum loco  
sunt, sed & quod boni cives patriæ debent, laudabiliter ex-  
plet. Observantiam scilicet & honorem Cognato Ma-  
jori, amorem & fidem patriæ declarat, quidq; polliceri si-  
bi de floribus hisce vernis debeant, alius expendendum  
relinquit. Cum verò huic actui panegyrico diximus di-  
em Mercurii proximum, Magnificum Academia Recto-  
rem, Facultatum reliquarum Decanos, Professores, Do-  
ctores, Licentiatos & Magistros, ut, interruptis quadan-  
tenuis laboribus & negociis suis, quibus tenentur, dicto die,  
finitis sacris matutinis in Acroaterio Collegii majoris sui  
copiam facere, honori novi Oratoris velificari, præsentia  
suâ splendidâ plus lucis huic actui scenerare, quanti-  
q; faciant hæc exercitia, docere velint, cum oblatione studiorum  
& officiorum nostrorum rogamus. Nulli etiam dubi-  
tamus, Nobilissimos & florentissimos juvenes & adole-  
scentes studiosos in honorem commilitonis huic actui pan-  
egyrico frequentes interfuturos. P. P. XXIV. die  
Sept. Anno M. DC. LIV.

---

Generoso & Nobilissimo Adolescenti, LAURENTIO  
GEORGIO à CROCKOW Musarum Meoq; delitio S.

Cum omnes bonos bonis artibus favere existimo, tum  
me sanè liquidò testari possum, magno miroq; gaudio affici,  
quando Nobiles juvenes dignum aliquid majoribus suis facere,  
se existimant, si humaniores istas quas vocamus literas à se non sper-  
nant. Namq; illæ aliàs eò vilitatis hodiè devenère, ut earum cultores  
medio prope digito etiam Politiani Lamiz monstrant, & odioso Gram-  
maticorum, literas ipsas contemptibili humillimarum nomine tradu-  
cant. Quò magis lætatus sum, cum Te, NOBILISSIME LAURENTI  
arctius cum istis contraxisse intellexi. Nimirum adhuc honorem stu-  
diis durare videbam, nec ita convaluisse bellicis licet furoribus foram-  
nequiciam, ut non optimarum tamen artium, sine quibus vix salva esse  
potest Resp. (Eloquentiam dico, Civilem sapientiam, & magistram



FK  
T  
8194

vita Historiam,) nomen si non omnibus, aliquibus saltem iisq; optimis venerabile & sacrum existat. Testem Tu affectus tui imò & profectus dedisti eruditam illam & luculentam, quâ Cognato Tuo, Viro non minus imaginibus, quàm virtutibus illustri Præfecturam ulterioris Pomeraniæ à Serenissimo Brandenburg. Electore mandatam gratularis, orationem. In qua cum verba exquisita & ut poposcit locus sublimia, tum maximè compositionem illam ad eò variorum ex optimis quibusq; scriptoribus quasi flosculorum vehementer fui miratus. Et profectò vix credebam auribus meis, nisi jure familiaritatis & amicitiae, (quæ cum Politissimo Doctissimoq; Præfecto tuo DN. M. DAV. LINDNERO mihi intercedit) in manus meas venissent chartæ tuo chirographo scriptæ, in quibus à temerita multa & deleta & inducia & superscripta inerant, ut planè fidè auribus oculi facerent, non à dictante aliquo exceptum, sed planè quasi à cogitante & generante productum commemorabilem hunc Panegyricum. Quem cum voce suavissimâ, vocem magis commendabas verecundiâ, quæ in studiis à modesto quodam timore profecta, tuam istam atatem maximè, præ arroganti fiducia decet. Non ergò possum quin exosculer tuum istud tam politicum, tam elegans ingenium, teq;ve, si fas est, adhorter & incitem, ut pergas quò cœpisti, lumenq;ve, quod TIBI majores tui, & Generosus præcipuè Parens prætulerunt, posteris aliquando tuis præferas. Gratulor sanè illi, gratulor quoque optimis fratribus optimoq;ve & nobilissimo cognato tuo B O R C K I O, quorum ut pium TE declamante, gaudium, ita honestam earundem laudum æmulationem non potui non observare. Faxit DEUS, ut & illos ipsos admirari simili ex causâ propediem possim. Et potero. Ita enim generoso incocta honesto pectora; & tam alacri ad virtutem gradu contendunt spondent & promittunt. Ignosces autem gaudio nostro, quod intimis conceptum visceribus exultuavit etiam nec continere se valuit, quin in has se lineas effunderet. Dicerem me quoque in partem laudum Tuarum venire, qui calentem inflammasse, ad palmæ honorem sponte currenti calcare subdidisse hortaminum mihi conscius, nisi jactantius dictum videretur. Sed desino. Servet TE DEUS, tuisq;ve & patriæ Gratiarum, Ocelle, Delitium Musarum. B. V. Scripsi fugiente calamo ex Muséo Tertio Calend. Octobr, 1694.

Christian-Fridericus Franckenstein/  
LL. & Histor. PP.





toribus è cathedrâ pulpitoq; prolata transmissâ men-  
 te, & aure non fatis fidâ oblivioni, silentiove tradenti-  
 bus, & declamare publicè, scholasticum habebatur,  
 atq; ve umbratile; eas etiam denotare cœpit, quæ in fre-  
 quenti auditorum confessu non recitatae,  
 per universum  
 um Virorum e  
 hodieq; ve lucu  
 satur manibus  
 Poëtæ, Claudi  
 & Olybrij, fra  
 quoq; ve prioris  
 cij, quâ Valeria  
 gum fuerit eor  
 qui, qui de Aug  
 sulatu, benè m  
 sveltudinem, ne  
 tatam populo,  
 Patriæ ac Præsi  
 propinquitate  
 seqvia civis, Cl  
 necessitudinis  
 laudandum, au  
 quo nuper- de  
 BALDO KL  
 stræ Numen, &  
 Judicium, ut &  
 domi forisq; ve  
 dudum colloca  
 ut felicitati ejus  
 premum Provi  
 diderunt, grati  
 Quod dùm par  
 num honoratis  
 summoperè, si  
 remigia quædam aut vicia ubi applicabit, nec tam cele-  
 ber-

